



## **Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

**Lourenço, Agostinho**

**Leodici Eburonum, 1692**

Sectio XXXIV. Vtrùm status viæ requiratur ad meritum vitæ æternæ ab intrinseco, & ex naturâ rei?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)



## SECTIO XXXIV.

*Utrum status viæ requiratur ad meritum vite æternæ ab intrinseco, & ex natura rei?*

719. **D**ico 1. Status viæ ad meritum non requiritur præcisè ex natura actionis pertinentis ad merendum præmium essentiale, sive beatitudinem. Ita P. Soar. P. Tanner. P. Arriaga, & alii statim citandi. Probatur, quia ratio, & occasio merendi comparatur ab Apostolo certamini currentium in stadio juxta illud 1. Cor. 9. 24. *Sic currite, ut comprehendatis*; atqui certum tempus cursus & certaminis à Principe, vel Republica præmium proponente, non autem ex natura rei definitum est; ergo &c. Confirmatur, quia status viæ ad meritum de condigno requisitus, in unoquoque durat usque ad terminum vitæ mortalis, quicum illa, sicut & ratio merendi finitur; sed id definitum fuit secundum solam ordinariam Dei legem, ut ex pluribus Scripturæ locis supra citatis constat; ergo &c.

720. Dico 2. Hæc vitæ mortalis conditio non est ita debita, & requisita ad meritum de condigno, ut non potuisset absolute Deus, aut ante mortem statum merendi abruptum, aut post mortem illum prorogare: sicque nullus est status, cui si adsint omnes aliæ conditiones, de quibus supra, repugnet ex natura rei rigorosum, & condignum meritum gratiæ, & gloriæ essentialis. Ita P. Soar. *tomo 3. de Grat. lib. 12. cap. 15. à num. 17. & tomo 1. in 3. part. d. 39. sect. 3. P. Agid. d. 8. de Merito, dub. 4. num. 72. P. Granad. Contr. 8. de Grat. tract. 11. d. 2. num. 2. Zumel. 1. 2. quest. 114. art. 1. d. 1. diff. 2. §. Quod autem. P. Becan. 1. part. tract. 3. cap. 3. q. 9. Lorca. d. 43. membr. 1. Montefin. d. 5. quest. 5. num. 77. quos citat, & sequitur P. Ripal. *tomo 2. de Ente supernat. d. 77. sect. 2. num. 14. P. Arriaga tomo 4. d. 54. sect. 2. à num. 10. P. Compton. tomo 1. d. 126. sect. 5. num. 2. P. Tanner. tomo 2. d. 6. q. 6. dub. 2. n. 46. P. Amicus tomo 3. d. 35. sect. 2. n. 15. & alii.**

721. Probatur primò, quia id nullam involvit contradictionem, aut repugnantiam; sed quod Deo non repugnat, aut contradictionem non involvit, non est Deo negandum; ergo &c. Secundò, quia tam homines in hac vita, quam animæ separatæ, sive in Purgatorio, sive in sinu Abraham, sive in Cælo, & Angeli beati, possunt elicere, & de facto eliciunt actus liberos, honestos, & supernaturales, & sunt in gratia; ergo si accedat promissio, & acceptatio Dei, qui acceptet, & promittat, ut potest, talibus actibus gratiam, & gloriam, tales actus poterunt esse condignè meritorii, utpotè quibus nihil ad id deesset.

722. Tertiò, quia si Deus ferat, ut potest, hanc legem: *Beato elicienti actum charitatis augebo gloriam essentialem*: tunc Beatus eliciens talem actum merebitur augmentum beatitudinis; siquidem Deus tunc augebit illius gloriam tanquam præmium dispensatum intuitu talis actus; præmium autem non datur, nisi merenti; & propter opus cedens in obsequium, & gloriam præmiantis, ut reverà cederet actus ille moraliter bonus ipsius Beati; ergo Deus, cui integrum est augmentum gloriæ dispensare titulo, quo liberit, poterit illud sic dispensare titulo talis actus cedentis in honorem ipsius Dei.

723. Quartò, quia Beati etiam de facto possunt mereri aliquod præmium, saltem accidentale, ut ipsi

Adversarii concedunt; sed hoc non caderet sub meritum Beati, nisi Deus illud conferret intuitu altius obsequii cedentis in honorem ipsius Dei; ergo cum Deus dispensat Beato hoc præmium accidentale, nempe exaltationem sui nominis intuitu talis obsequii, bene poterit loco illius ei dispensare augmentum beatitudinis: tum quia in hoc nulla apparet repugnantia: tum etiam quia hujusmodi augmentum in valore morali non excedit dignitatem operis, sicut reverà non excederet, si tale opus eliceretur in via.

Quintò, quia sicut Deus potest prohibere demoni sub gravi peccata, ne talem justum ad peccandum inducat, ita potest Angelo promittere augmentum gloriæ, si actum charitatis eliciat; sed potest demonem transgredientem ejus præceptum panà definità castigare ob transgressionem præcepti; ergo etiam poterit Angelum adimplentem illius præceptum augmento gloriæ definitò remunerare; sicut enim Beatus est in termino salutis, ita etiam damnatus est in termino mortis, & damnationis.

Dicent 1. Visionem Beatam tollere libertatem peccandi; ergo etiam merendi. Sed contra primò, quia stante necessitate ad non peccandum, adhuc potest esse libertas ad faciendum, & omittendum opus honestum; ergo etiam libertas, quæ necessaria est ad meritum. Secundò, quia Visio Beata ut quatuor v. g. relinquit in opere honesto laudabilitatem, libertatem, bonitatem, & dignitatem illius; ergo etiam condignitatem, libertatem, bonitatem, & laudabilitatem ad merendum augmentum Beatitudinis ut sex; siquidem non est cur ex natura rei, & independenter à voluntate Divina impediatur in ipso opere meritum respectu illorum duorum graduum gloriæ, quibus ipse Beatus caret. Tertiò, quia Christus Dominus ab instanti suæ conceptionis habuit Visionem Beatam, & caruit potentia ad peccandum; & tamen habuit meritum; ergo hæc duo optime cohererent.

Dicent 2. Christum Dominum etiam non potuisse sibi mereri augmentum gloriæ, sed solum aliis. Sed contra, quia hæc solutio caret omni probabilitate; nam si opera Christi ita Deo placebant, ut possent de condigno obtinere gratiam, & gloriam pro aliis, cur non etiam pro se, cum facilius sit sibi, quam aliis mereri? Supponimus enim gloriam Christi Domini fuisse alioqui capacem augmenti. Dicent 3. Id in Christo Domino factum esse ex singulari Dei favore, & miraculose. Sed contra, quia si libertas ad peccandum esset necessaria ex natura rei etiam ad merendum; sequeretur, Deum non posse id supplere etiam divinitus, & miraculose, si cut non potest efficere, esse meritum, & non esse libertatem ad illud omittendum. Adhuc tamen:

Obijcies 1. pro P. Vasq. 1. 2. d. 216. cap. 4. P. Turrian. d. 2. dub. 2. num. 4. & dub. 3. num. 3. P. Merat. 1. 2. tract. de grat. d. 14. sect. 1. & aliis. Homo extra hanc vitam mortalem pervenit ad terminum; sed de ratione termini est, ne ultra illum quis progredi possit; alioqui jam non esset in termino, sed in via; ergo ultra terminum, quem quis adeptus est per Visionem Beatam in alia vita non potest per meritum ascendere. Respondeo primò argumentum saltem non probare contra animas Purgatorii, & animas Sanctorum Patrum olim existentes in Limbo, utpotè quæ non erant, neque sunt absolute in termino; ergo saltem hæc extra hanc vitam mortalem poterant, & poterunt mereri de condigno augmentum gloriæ, si Deus ita disposuisset.

Respondeo secundò, si sermo sit de Beatis, sive hominibus



hominibus, five Angelis, nullum pervenisse ad terminum adæquatum, quem ex natura rei posset acquirere, licet pervenerit ad terminum adæquatum juxta præsentem Dei ordinationem; destinatio enim ad hunc terminum, five ad certum præmium, non potest ex natura rei auferre ab operibus bonis supernaturalibus per gratiam dignificatis condignitatem ad ulteriùs progrediendum ad alium terminum, five præmium de novo acquirendum, si Deus ita voluisset statuere; ac si proinde solum de ratione termini omnino adæquati est, nè ultra illum quis progredi possit. Addo, quod Beatus quisque in cælo ex natura rei est in termino adæquato præcedentis meriti, ratione cujus non potest ad ulteriorem terminum, five præmium progredi: non tamen est in termino meriti subsequenti, ratione cujus posset ad subsequens præmium, & ulteriorem terminum ascendere, nisi Deus aliud decrevisset, ut de facto decrevit.

729. Obijcies 2. Beatitudo est centrum animæ, in quo ipsa quiescit, & satiatur juxta illud Psal. 16. 15. *Tunc satiabor, cum apparuerit gloria tua;* ergo non potest etiam de potentia absoluta moveri per meritum ad majorem gloriam acquirendam; alioqui simpliciter non quiesceret, neque satiaretur; consequenterque non esset beata. Respondeo animam illam quiescere quidem in beatitudine, tantquam in centro, quatenus in illa satiatur, cum quo stare potest, ut per alios actus bonos supernaturales mereatur magis, ac magis satiari; siquidem hæc nova fatietas non expellit aliquam anxietatem, quæ stare non potest cum illa quiete, & beatitudine, sed solum efficit, ut anima clariùs, & feliciùs fruatur tanto bono; sic enim Beati, qui minorem Beatitudinem gradualem sortiuntur, non ideo sunt anxii, & inquieti, licet non sint æquè felices ac alii habentes beatitudinem magis intensam. Unde quiescere absolute solum tollit anxietatem, non vero potentiam ad progrediendum, & augendam felicitatem.

730. Obijcies 3. Status viæ & meriti, est status peregrinationis, certaminis, & profectus; sed status patriæ, & præmii, est status quietis, coronæ, & fructus; ergo cum statu patriæ non potest compati status meriti. Respondeo majorem esse veram de facto, & solum suppositâ ordinatione Divinâ, nam de ratione viæ, & meriti absolute, & ex natura rei, solum est carere remuneratione, quæ quidem obtineri potest per actus bonos etiam in patriâ elictos, si Deus ita disponat, ut potest disponere de potentia absolute; neque enim id repugnat statui quietis, & fructus, ut diximus; sicut etiam non repugnat ex natura rei Beato in patria proficere magis, ac magis in bonis operibus.

731. Obijcies 4. Si opera supernaturalia Beatorum essent ex natura rei meritoria augmenti gloriæ essentialis, aut talia non essent de facto, quia Deus acceptatione suâ non reddit ea condigna; & hoc non; siquidem, ut supra diximus, acceptatio Divina non dat condignitatem, neque valorem operibus meritoriis: aut talia non essent, quia licet in se condigna sint, Deus tamen liberè non vult promittere, neque dare pro illis præmium; & hoc etiam non; siquidem durum, & liberalitate divinâ indignum videtur, Beatos in dies fieri digniores majori gloriâ; & tamen hanc à Deo illis denegari; ergo &c.

732. Respondeo primò cum P. Arriaga cit. num. 11. argumentum esse etiam contra P. Vasq. siquidem opera Christi Domini ex se fuerunt digna

Tom. 2.

infinito præmio; & tamen Deus non dedit illis nisi finitum; quin id videatur durum, & Deo indignum; ergo etiam durum, & Deo indignum non erit admittere simile aliquid in Beatis. Respondeo secundo, opera supernaturalia Beatorum esse de se & ex natura rei condigna, & meritoria augmenti gloriæ veluti in actu primo, non tamen in actu secundo, quia illis deest promissio & acceptatio divina, sine quibus nullum opus est meritorium, & condignum in actu secundo, neque Deus tenetur illud remunerare. Unde opera illa habent ex se sufficientem dignitatem, ut Deus posset, si vellet, ea ad præmium acceptare, quandiu tamen non acceptat, nullam Beatis injuriam infert in eo, quod eis nullam retributionem conferat; sicut nullam injuriam contulit Christo Domino acceptando tantum illius opera ad præmium finitum, aut saltem non ad omne præmium, cum tamen essent digna præmio infinito, imò omni præmio possibili.

733. Et ratio hujus est, quia Deus, ut supremus Dominus omnia ea opera potest exigere tanquam sua, & sibi debita ex justitia ob varios titulos, nulla factâ homini injuriâ, etiamsi non refundat pro illis novum præmium, quod maximè locum habet in Beatis; siquidem cum illos ad gratiam vocando, & prædestinando ad gloriam, tam grande contulerit beneficium, optimo sanè jure in gratiarum actionem potest omnia illa opera exigere; ergo non teneretur Deus ea acceptare ut merita condigna ad præmium conferendum.

734. Advertes, quod diximus de Beatis, five hominibus, five Angelis, intelligendum etiam esse de animabus Purgatorii, de existentibus olim in Limbo, & de Henoch, atque Helia (si de facto non merentur, de quo jam supra); siquidem in omnibus his statibus possunt ex naturâ rei dari opera meritoria, quæ si Deus velit acceptare ad præmium, ut potest, non solum erunt meritoria ex se, & in actu primo, sed etiam in actu secundo. Excipiendus tamen est status damnatorum; siquidem in illo dari non possunt reliquæ conditiones requisitæ ad meritum condignum.

## SECTIO XXXV.

*Utrum possit esse simul in eodem instanti meritum Beatitudinis essentialis cum ipsâ Beatitudine ut præmio?*



735. ADVERTES primò, quæstionem non procedere de merito procedenti ex Visione Beata; siquidem de principio meriti an cadat sub meritum, infra dicemus, sed de merito procedenti ex cognitione supernaturali, quæ beatifica non sit: An scilicet possit quis in eodem instanti reali esse in via, & in termino, ita ut pro priori naturâ possit actum meritorium elicere, & pro posteriori naturâ Visione Beata remunerari? Secundo, certum esse secundum legem ordinariam, non mereri homines beatitudinem in eodem instanti reali, in quo illam recipiunt; siquidem homines non fruuntur beatitudine in hac vita mortali, in qua sunt viatores, extra illam autem regulariter non est meritum, prout supra diximus. Unde quæstio solum potest locum habere in Angelis, & in Christo Domino, idque tam de facto quàm de possibili in ordine ad potentiam Dei absolutam. His positis.

V v

Dico